

Johann Hermann Benner


**Io. Hermannvs Benner SS. Theol. Prof. Ord. Et Lycei Gissensis Paedagogiarcha  
De Censvra Richardi Bentleii In Horat. Carm. I. I. Pavcvla Delibat Et Orationem  
Pvblicam In Illvstri Paedagogio Gissensi III. Id. Sextiles A. MDCCXLI. Habendam  
Significat**

Gissae: Ex Officina Mvlleriana, [1741?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn875972985>

Druck    Freier  Zugang





K.B - 395 (3<sup>2</sup>)  
K.P - 395 (5.)



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn875972985/phys\\_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn875972985/phys_0003)

DFG



*125*  
IO. HERMANNVS BENNER

SS. THEOL. PROF. ORD. ET LYCEI GISSENSIS

PAEDAGOGIARCHA

*112*  
DE

# CENSVRA RICHARDI BENTLEII

*IN HORAT. CARM. I. 1.*

PAVCULA DELIBAT

ET

## ORATIONEM PVBLICAM

IN ILLVSTRI PAEDAGOGIO GISSENSI

III. ID. SEXTILES

A. *cccccxxli.*

HABENDAM

SIGNIFICAT.

---

GISSAE,

EX

RIANA.



## §. I.

**Q**VAM libenter hoc officio defungor, tam parum mihi vel temporis, vel cogitationis ad illud exsequendum sufficit. E sanctiori disciplina non desunt, quae nec inutilia, nec aliorum detrita studiis, adferri possint: si modo tale foret hoc negotium, quod ad gymnasii cathedram potius, quam ad sublimiores Musas referri deberet. Quare intra hunc orbem Lycei nostri me continebo, et quicquid ab eum fuerit, non cogitate meditateque, sed quasi furtim, et inter curas meliores interceptum, attingam. §. II.

RICHARDVS BENTLEIVS, vit et ingenio maximus, et criticae rei ferme princeps, post scriptores alios, ad HORATIVM quoque FLACCVM se contulit: quem splendida induitum veste, aliquoties, AMSTELAEDAMI, ex officina WETSTENIORVM prodire iussit. Cum primum eius animaduersiones mihi perlustrare contigit; illico subiit animum, quod CICERO dixit in Pisonem: te non Aristarchum, sed Phalarim grammaticum habemus, qui non malis verbis notam adponat, sed Poetam ipsum ferro persequatur. Quod tamen ita velim accipi, vt Anglo celeberrimo iunc etiam, cum ultra modum sapit, plerumque et ingenii gloria, et doctrinae principatus relinquatur. Hoc enim magnis fere ingenij proprium esse puto, vt supra vulgum abeant, lapsu interdum haud indecoro. Prima illius in HORATIVM censura est eiusmodi, quae nulli antea mortalium venerat in mentem. Scriptus autem VENVSINVS vates: Carm. lib. I. od. I. 3.

Suntquos curriculo puluerem Olympicum

Collegisse iunat, metaque feruidis

Euitata rotis palamque nobilis

Terrarum dominos cuehit ad Deos.

Hunc, si mobilium turba Quiritium

Certat tergeminis tollere honoribus,

Illum, si propria condidit horre.

Hic male BENTLEIVS habet nostram, quod ab hominibus doctissimis, tanta sententiarum varietate, in hunc locum disputatur. Quin et idem adunc prope naso suspendit, quicquid usquam ad euendam FLACCI monem exagitatum inuenitur. Verba eius sic habent:

29 | 3 | 50

habent : Iam quaeritur HVNC et ILLVM unde pendeant ? et cuinam  
verbo connectantur ? aut enim haec structura est : iuuat hunc, il-  
lum, aut ista est : euehit hunc, illum : aut illa denique, Dimoveas  
hunc, illum : nihil est quartum : et tamen nulla ex his tribus con-  
structio rite procedit. Esto enim ; postrema forte piae alii tibi  
arriserit ; nunquam, inquis, dimoveas hunc, amplissimis honoribus  
auctum ; illum totius Africæ praedicta possidentem, ut mutato vi-  
tæ instituto mercatores esse velint. An vero ? profecto hand  
stulte sapiunt, si nolunt se tot et tantis periculis sine causa exponere,  
neque dubio mari opes quaerere, quas domi iam affatim habent.  
Quid quæso, hic tam mirum? Metuendum credo erat, ne Pompeio  
quis vel Caesari vel Crasso persuaserit, ut relatis rebus omnibus  
mercaturam exercerent. Quia in re iam SCALIGERVM ET IANVM  
RVTGERIVM ducēs habuit. Pergit, interiectis quibusdam, ad al-  
terum, in quo verbum iuuat tam ad hunc quam ad illum referri  
iubetur. Ibi vero nihil sanum esse putat, ac leges grammatico-  
rum omnes hanc violentiam deprecari contendit. Causa haec est,  
quoniam, cum semel interserta sit haec tota lacinia :

- - metaque feruidis

Euitata rotis, palmaque nobilis

Terrarum dominos euehit ad Deos,

iam non amplius integrum aut vati sit, aut interpreti, vt ditio-  
nem et iuuat ultetius porrigit. Quare fieri non posse, vt sequen-  
tia hunc et illum suspendi ab eodem verbo queant, quod orbem  
suum intra hunc ambitum : Sunt - quos curriculo puluerem Olympi-  
cum collegisse iuuat iam absoluert. Haec ille secum agitans, haud-  
quaquam diutius sibi temperat, sed tanquam HORATII genio ad-  
flatus, ita rescribendum imperat :

- - metaque feruidis

Euitata rotis, palmaque nobilis

Terrarum dominos EUEHERE ad Deos.

### §. III.

Duo sunt quae sibi consecutus videtur, ANGLORVM littera-  
tissimus. Primo se consuluisse arbitratur verborum structurae,  
atque effecisse, vt poeta rectius ad grammaticam, et minus im-  
pedire loquatur. Namque vox iuuat nunc demum, BENTLEIO  
iudice, sola, et legitime, regnat, neque ab illo euehit amplius  
turbatur; hoc modo : Quosdam iuuat curriculo colligere puluerem

*Olympicum*, et meta (iuuat) quae nobilis est enchere (tam nobilis ut euehere possit) terrarum dominos ad Deos : hunc (iuuat) si *mobilium* - *illum* (iuuat) si proprio cet. Deinde miram esse putat elegantiam, quae hoc pacto data vel redditia fuerit **HORATIO**, si figuram suauissimam, graeco quae fonte cecidit, in eius carmine exosculemur. Illa talis est, vt habeas illic : *nobilis enhere*, sicut apud eundem *Carm. I. XII. 25.* legitur : *nobiles superare*, et sexcenta huiusmodi apud alios.

## §. IV.

Haec ingeniosissime inuenta, et comprobata doctissime, si quis non videat; parum in *LATIO* se versatum esse fateatur. Quodsi vero cogitemus, neque *necessitatem* vito summo, neque *ancoritatem* ullius codicis, talia suggestisse; quid reliquum est, nisi vt veterem sententiam **HORATII**, nouam **BENTLEII**, esse dicamus. Codicem suffragari nullum, ipse neque voluit diffiteri neque potuit. Suum ipsi pro codice fuit ingenium, pro teste voluntas. Necessestatis autem adfuisse nihil, facile perspexeris.

## §. V.

Fac enim, hanc esse vatis nostri mentem, vt verbum iuuat tam large communicari per tractum poennatis oporteat, quam critico tum isti, tum aliis videtur: an vero insolitum est, in sacris atque profanis scriptoribus, vt sequens aliquid ad longius remotum potius, quam ad proprius, referatur? admodum hospes sit in utroque genere, si quem illud fugiat; quod et omnium minime fugere poterat **BENTLEIVM**. Quid autem fiet de pluribus **HORATII** locis, illum si *canonem* conticescere iubebimus? Vnicum, breuitatis causa dabimus: *Carm. I. XVI. 9.*

Non Dindymene, non adytis quatit  
Mentem sacerdotum incola Pythius,  
Non Liber aequa, non acuta  
Sic germinant Corybantes aera,  
Tristes ut irae.

Hanc lectionem omnes ad vnum codices adprobant. Quocirc<sup>z</sup> tanto erit aptior ad id quod volumus comprobandum; nihil enim moramus eiusdem critici falcam, quae in istam quoque sermonis fegetem sat fidenter involavit. Ecce ibi apodosin: *tristes ut irae*. Proxime praecessit: *Corybantes non sic germinant aera*: atqui cum illo connecti non potest: *tristes ut irae*, nam ita non est, quae

con-

concurrit aera. Connectendum igitur est cum eo, quod remorius am-  
recessit: Apollo et Bacchus non acque mentem quatunt sacerdotum,  
ut irae tristes eandem percellunt. Quin et solui scriptores ad hanc le-  
gem se componunt. CORNELIUS NEPOS *Miltiad.* V. i. Nulla ciuitas  
Atheniensibus auxilio fuit, praeter Plataenses, ea mille misit militem.  
Ea non ad Platae fesses, sed ad ciuitas relatum est: nisi malis ibi Pla-  
taceensium, uti monet LAMBINVS. §. VI.

Neque illud, ut opinor, inter difficilia vel admodum notata  
digna enumerari debebat, quod verbum innat, in eadem periodo, mo-  
do personalis verbi, modo impersonalis potestatem habeat. De verbis  
enim impersonalibus quid sentiendum sit, exposuit PER IZONIVS ad  
Sancti Mineruam p. 87, et 264. Poetis autem non est praeter consue-  
tudinem, ut ea quoque verba, quae pro impersonalibus nunquam  
habita sunt, aliter atque aliter in eadem sententia cum vicinis con-  
ficiant; sicut est apud VIRG. *Aen.* II. 74.

*Hortamur fari, quo sanguine cretus,  
Quidne ferat, memoret; quae sit fiducia capto.*

Ibi verbo hortamur primo infinitivus subiicitur, deinde eadem in se-  
rie coniunctivus, memoret.

### §. VII.

Iam vero, si ratio suppetat commodior, qua carmen HORATIVS  
difficultate quam fingunt, liberetur; vix ullum fore puto, qui medi-  
cinam tam praeципitem adhibeat, quam adhibitam videt ab Anglo-  
rum Aristarcho. Hoc ut efficiam, id mihi concedi velim, quod res  
ipsa largitur. In eo videlicet est HORATIVS, ut imitatione PINDARI,  
cuius reliquias huc pertinentes a SEXTO EMPIRICO seruatas, feliciter  
huc attulit BENTLEIVS, in vestibulo carminum suorum exponat, quod-  
nam vitae genus ab unoquoque pro summo, ac beatissimo habeatur?  
Qua in re HORATIVM imitatur ipsum PERSIVS *Sat.* V. 52. et Serenissi-  
mum nomen, princeps MAVRITIVS, praefatione ad poeticam. Nec  
absimilem esse MARONEM, ex libro Georg. II. 503, constabit. Poetae,  
si summum quiddam et beatissimum dicere volunt, eum qui id affec-  
tus sit, Diis parem esse, interdum etiam in celo esse dicitant. De  
quo consule, si placet, ERASMI *Chiliades*, et quae ad PETRONIVM,  
*Satyr.* cap. 132. annotauit DOVZA fil. GE. ERHARDVS, et BVRMANNVS:  
GROTIUS item ad Matth. XI. 23. Noster ipse, epist. I. XVII. 33.

*Res gerere, et captos ostendere ciuibus hostes,  
Attingit solium Iouis, et caelestia tentat.*

Ille mi par esse deo videtur,  
Ille, si fas est, superare diuos,  
Qui sedens aduersus cet.

## §. VIII.

Id quam verum est frequentati poetis, tam perspectum BENTZIO fuit; quem in hoc genere velle monere, adeo ridiculum foret ut nihil magis. Sed nescio, numquid non illud fraudi fuerit viro maximo, quod putaret, HORATIVM, qui in hoc carmine dianites quoque in caelo locat, idipsum vere et ex animi sententia dixisse. Denique, ait, unde datum sumis, ut, qui magnam vim frumenti in horreis suis occultauerit, continuo ea de causa ad Deos immortales euehi dicatur? Haud credideram tam facilem tritansque ad superos viam. Indignum vero, si triparcos illos Vmmidios, Fufidios, Staberios, Optimos et immundos Nattas iam Noster propter auri et frumenti aceruos inter Deos hic collocet, quos in Satiris usq; hominam loco aut numero censuerat habendos. Numquam, mibi crede, sic Flaccus desipuit. Sed nunquam et ego fuisse putem, qui sic FLACCVM desipuisse crediderit. Quid enim? an ille suam hac ode sententiam dixit? an victoribus Olympiae, vel Consulibus Romanis, vel CRASSIS atque POMPEIIS opinacion aut encomion scribere suscepit? quis ita sibi indulgeat, vt illud existimare possit? Id potius per totam hanc oden agit, ut quo quisque studio ducatur, quod vitao genus optimum, sibique beatissimum existimet, prooemii loco recenseat. Non HORATIVS idem sentit, quod illi, quorum, opiniones enumerat, et quasi contemtim habet. Unicum quippe carmen lyricum, sicut in fine profitetur, multo ipsis potius, et sublimius, et glorioius, et ad beatitatem nobilius est, quam tota graecia cum ludis suis, et Roma cum fascibus, titulis, statuis, praediis, et cunctis denique barbarorum regnis.

## §. IX.

Quodsi verum est, poetarum stilo inter Deos referri, qui maximum felicitatis apicem vel consecutus sit, vel sibi consequutus videatur; (§. VII. VIII.) iam dispiciendum erit, quid HORATIVS dictum voluerit. Principio odae eos sibi proponit, quorum opinio ex honoribus atque diuitiis summum quiddam atque beatum repetat. Suasit poeticae lex, vt nominatim honores quosdam, eosque tunc temporis in Graecia Latioque summos, commemoraret: par est ratio de diuitiis. Itaque stilo poetico dicendum fuit: hunc enchit ad Deos, illum

678

illum euehit ad Deos, quosdam euehit ad Deos. Mutato stilo eandem cogitationem sic expressit: *Me Diis miscent superis; Ego sublimi vertue feriam sidera.*

§. X.

Prima igitur HORATII sententia haec est: *Quosdam, iam nunc satis honoratos, quippe principes ac dominos terrarum, tamen nescio quae cupidio incessit ut Olympica palma donati, opinione hominum et sua, inter Deos relati, atque adeo summo felicitatis apice portiti videantur.* Ex quo patet, princeps hoc loco vocabulum esse: *euehit ad Deos,* id est summe beatos et magnos efficit: altera vox *innat expositionis* caussa accessit, neque adeo pro tali habenda est, quae totum sermonis tractum usque *ad v. 11.* vel ulterius etiam, dirigat. Quod exinde praeterea colligitur, quoniam *v. 29.* ubi totius carminis *apodoſis* incipit, eiusdem cogitationis memor, eandem phrasim bis adhibet: *me Diis miscent superis, et sublimi feriam sidera vertice.* Succedit alterum, istum in modum: *Hunc euehit ad Deos, id est, ille, id quod summum et beatissimum putat, tunc demum consecutus est, si populus Romanus tergeminis eum mactet honoribus.* Iam tertium sequitur: *Illum euehit ad Deos, hoc est ille sensu suo maximus et felicissimus est, qui praediiſ unde infinitas mesſes colligat, a fortuna donatus est.* Denique de se subiicit HORATIVS: *me illud vnicē insignem et felicem efficit, si lyricus vates adpellari queam.* Quae, siue sententia, siue hyperbole, placuit etiam illustrissimo vito *IVL. CAES. SCALIGERO;* tantumque placuit, ut tales ab se mallet Odas componi, quales sunt illiae FLACCI: *Quem tu Melpomene semel cet, et Donec gratus eram. certa* quam esse totius Tarraconenſis regem.

§. XI.

Satis liquido hinc constare crediderim, quam parum vel *neceſſitatis*, vel *auctoritatis* induxit BENTLEIVM, ut tantum sibi in alienum carmen indulgeret, quantum hoc ab omnibus putari debet, si rectus sensus in obliquum, et manifesta vocis integritas in voluntariam formam inclinetur. Nubiscum facere LAMBINVM ET BERSMANNVM, non est quod moneam, res cum ipsa clamet, ac testes non desideret.

§. XII.

Vnum addere lubet. *Sublimi vertice sidera ferire, quondam ita vertimus: oloris instar in altos nubium tractus tendere.* Sic enim ipse de PINDARO canit HORATIVS. *Carm. IV. ll. 25.*

Multa

*Multa Dirceum leuat aura cycnum,  
Tendit, Antoni, quoties in altos  
Nubium tractus.*

Accedit MARO, qui de fama, quam, MYRETO notante, de CALLIMACHO et HOMERO expressit, similiter canit, Aeneid. V. 177.  
- et caput inter nubila condit.

Dubitatem tollere videbantur, quae Carm. II. XX. de se ipse felicissime cantat Noster, ubi se in cycnum subito mutatum, ac per aethera sublimem perentem, admiratur:

*Non usitata aut tenui ferar  
Penna, biformis per liquidum aethera  
Vates, neque in terris morabor.*

Sic et alibi cycnus vocari gaudet, Carm. IV. III. 19. 20. Sed propter ea, quae §. IX. dicta sunt, hanc plane coniecturam exploso. Nihil ad poetae mentem est accommodatus, quam iste phraseos tam usitatae sensus, quem et OVIDIUS adprobauit, Fastor. I. 209.

*At postquam Fortuna loci caput extulit huius,  
Et retigit summos vertice Roma Deos.*

*Ibi vertice summos Deos tangere, quid ert, quam in ipsum felicitatis humanae culmen esse proiectum?*

### s. XIII.

Sed iam praeter opinionem tantum his chartulis illeuimus, plus ut non capiant. Et tamen non nulla, praesertim ad eum locum, qui est Carm. III. XVI. 39. dicenda restabant. Quam misere enim HORATIVS ibi multatus sit ab interpretum vulgo, BONDIO, MINELLO, ceterisque, velim ut litteratus quisque, suis potius quam nostris oculis, non dicam alta meditatione, criticaque tollertia, metiat. Nos in scenam nunc producimus adolescentem oratissimum,

## PAVLVM HENRICVM SCHEEFFLER,

*Rotenburga- Hassum,*

quem PARENTS optimus, SERENISSIMORVM HASSIAE PRINCIPES Rotenburgenſis et Wanfridenſis, a consiliis regundae patriæ, vir et iurium, et publicae rei consultissimus, ante aliquot annos in disciplinam nostram dare dignatus est. In qua equidem sic bonis litteris, et philosophiae rudimentis, ac morum integritate tam breui tempore profecit, ut magistris suis ex omni parte se probauerit. Neque dubium cuiquam esse debet, quin, isto si in tramite deinceps se contigerit, spem de se conceptam sustinere ac tueri pro voto nostro queat. Is ad diem XI. Augusti oratione publica vites in dicendo suas experietur. Quod institutum, quemadmodum pulcherrimum ingenuaque mente vel in primis dignum est: ita non possimus quia publice ac sollemniter eidem adplaudamus, supremum rei scholasticae patronum venerantes, ut in hoc elegantioris litteraturae neglectu, qui nostram prodolor! patriam occupauit, ea clementissime sufficiat, quae ad Lycea magis in dies singulos ornanda, et aduersum voculas, despiciatunque maleuolorum vindicanda, pertinent. Dabam Gislae

III. Id. Sextil. cl. 10 CXXLI.







## IURIBUS VETERUM PRINCIPUM REGALIBUS.

Od. XI, 183 — 186.

δ' ὅπω τις ἔχει καλὸν γέρας· ἀλλὰ ἐκηλος  
μαχος τεμένη νέμεται, καὶ δαῖτας εἴσας  
ιται, ἀς ἐπέοικε δικαστόλον ἀνδρ' ἀλεγύνειν·  
ιτες γαρ καλέσοις

nt verba Anticleae, matris Ulyssis, in νεκυομάν-  
s apud inferos oraculorum causa secundum poe-  
tationem degeret. Quaesierat nimirum Ulysses ex  
dudum mortuae piis manibus cum alia tum

ε δε μοι πατρὸς, καὶ οὐέος, οὐ κατέλειπον,  
τι πάρ πείνοιστιν ἐμὸν γέρας, ηὲ τις ἥδη  
ρῶν ἄλλος ἔχει, ἐμὲ δ' ὅπῃ ἔτι φασὶ νέοσθαι;  
etiam de patre et *de filio*, quem reliqui, utrum  
ud illos meum munus, an aliquis iam virorum  
eat, me autem non amplius dicant reverti?"  
let itaque matris umbra locum supra laudatum,  
otenus hīc vertendum esse duxi:

verò nondum quis habet pulchrum munus; sed  
Telemachus dominia colit, et convivia aequalia